



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

72. Exemplvm Divinae Praesentiae & protectionis Athanasij, qui in exilium pulsus & profugus à toto imperio inuestigatus, à Deo mirabiliter occultatus & defensus est. Cap. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

Hic, ait, est iudex, faciem simul eleuat illi,
 Arsenius verus notus, vt antè fuit.
 Atq; leuat dextram manum, simul atq; sinistra,
 Ecce, ait, Arsenio est vtraq; salua manus.
 Vnde habeat synodus nunc hanc, vos quærite dex-
 Cuius præcisa me facit esse reum. (tram,
 Infusa his oculis nox quedam est atq; tenebræ,
 Vt nemo quidnam cœpret agatq; sciat.
 Namq; vident coram se certò assistere saluum
 Arsenium, cunctis qui bene notus erat.
 Hic subitò clamor cunctorum attollitur ingens,
 Artibus hic magicis ludit agitq; malis.
 Non licet hunc vltra nobis superesse nefandum,
 Impius hic patrat qui mala tanta virum.
 Atq; ruunt vnà rapientes præsulis omnes
 Corpus vt inuadant dilacerentq; pium.
 Sed synodi præses captum deduxit in aedes,
 Ne necet innocuum turba maligna virum.
 Atq; monet, quia non alia est nunc vlla salutis
 Spes, fugiat celeri quo queat inde pede.

72. EXEMPLVM DIVINAE PRAE-
 sentiaë & protectionis Athanasij, qui in
 exilium pulsus & profugus à toto
 imperio inuestigatus, à Deo
 mirabiliter occultatus
 & defensus est.

Cap. 18.

F 3

Pulsus in exilium praestans Athanasius vrbe
 A cunctis tota quaeritur innocuus.
 Praepositi quaerunt praetores atq; tribuni,
 Impius & miles quaerit vbiq; virum.
 Quaeritur & toto praesul venerandus in orbe,
 Ad mortem certam suppliciumq; graue.
 Praemia, qui viuum caput & qui portet, habebat,
 Tantus erat sanctum perdere velle furor.
 Ast frustra toto praesul disquiritur orbe,
 Qui tutus cura est praesidioq; Dei.
 Qui Domino toto confidit pectore, in omni
 Est tutus contra mille pericla loco.

73. ALIVD DE EODEM, QVI
 requisitus à Iuliano apostata, comitem e-
 ius insequentem caecitate percussum, fe-
 fellit, saluusq; Alexandriam reuersus
 est, vbi in latebris egit, donec
 cessaret persecutio. Ca. 34.

Anno
 Christi
 circiter
 367.

Iulia cui dederat nomen gens clara tyranno,
 Hostis erat saeuus perpetuusq; Dei.
 Praesul ab hoc sanctus saeuo est Athanasius hoste
 Eiectus patrijs sedibus atq; focis.
 Crimen erat mortis nullum, quod praesule aruspex
 Viuo responsum redderet atq; magus.
 Cum parat in sanctum ferro sauire tyrannus,
 Astitit huic populus flensq; dolensq; pius.

Quos